





Regimonti

1740.

Ohlius, Leo Henricus : De veris patriae et Provinciae
potestatis differentis.

1741.

Ohlius, Leo Henricus : De actibus imperii Roman.
in Prussiae possessionis factis venditatis.

1743.

1. Johann, Daniel : Pars I dissertationis evincentis
I quatuor vetera legatorum genera per vindictam
nem, damnationem, vivendi modum, et conceptionem
punitas sublata esse, nec eorum vel aliquod Jus
lexat vestigium in corpore juris civilis re-
manere II. nunc per legataria testatorum vi-
rum legatum praestare.
2. Johann, Reinholdus Fridericus, de : Jura scriptorum.

1744.

1. Bally, Theodorus : De ludis publicis.

1744.

2. L'Estocq, Joannes Ludovicus: De navibus rebusve
de delictis, tempestatis maritimali pro delictis
habentibus vel non habentibus
3. Waga, Stephanus: De eo, quod iustum est circa
incestum juris civitatis.

1745.

1. Kurella, Jacob Henrich: Ueber die Methode, nach
welcher ein *cursum juris* ... eroffnet u. ge-
endet wird.
2. Schinmann, Georgius Theodorus: De renunciatione
iuris juris non valida.

1747.

L'Estocq, Joannes Ludovicus: De iuris dictatione
iudicis Greci Regiomontani.

1751.

Funck, Joannes Vincel : De remissione officii publici.

1752.

Keller, Joannes Rischkulus : De hereditatibus liberorum
naturalium paternis et maternis.

1755.

L'Estocq, Joannes Ludovicus : De indole et jure
instrumenti Indaeis usitatis, cui Masure no.
men est.

1763.

1. Funck, Joannes Vincel : De actibus juri D'cis
sub conditione mandatae religionis gestis.
2. Grulab, Vincel : De jure D'cione in causis matri-
monialibus et hodiebus ejus exercitio in foro Geda-
nensi.

1768.

Braun, Christianus Renatus : De effectibus et
potentis Divortii tam partialis quam totalis

1777.

Zester, Wilhelmus Bernhards: De Depositione Deposito
pecuniarum numeratarum qualis.

1779.

Hatzpauer, Georgius Fridericus: De temporibus iure
civiliter ac naturaliter computandis.

1781.

Krechlert, Jo. Bern.: Praetermissa ad Consti-
tutionem Asperkr. accessit in ea lectio
per hiemem 1781 habendam.

1752 LX
12

DE
HEREDITATIBVS
LIBERORVM NATV
RALIVM PATERNIS
ET MATERNIS

DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS
*MAGNIFICO ICTORVM ORDINE
CONSENTIENTE*

IN ILLVSTRI ALBERTINA
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CONSEQVENDIS
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI PROPOSITA

A
IOANNE REINHOLDO
KELLER

REGIOMONTE PRVSSO

OPPONENTIBVS

GEORGIO FRIEDERICO HOFFMANNO, REG. PR. I.V.C.
CAROLO GOTTL. KVENTZEL, WRATISLAVIA SILESO I.V.C.

A. D. XXIII. IVLII MDCCLII.

H. L. Q. C.

REGIOMONTI,

STANNO REGIAE AVLICAE ET ACADEMICAE TYPGRAPHIAE.



DE
HEREDITARIIS
HERORVM NATI
KATERNI
BY MATERNI
INSTITUTIO
COURTY
IN IUSTITIA
IN IUSTITIA
IN IUSTITIA
IN IUSTITIA
IOHANNES
KELLER
CAROLUS
KELLER



ILLVSTRISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
ADAMO LVDOVICO
A BLVMENTHAL

S. R. M. IN PRVSSIA STATVS ATQVE BELLI
ADMINISTRO INTIMO ET DIRIGENTI CET.

MAGNI ORDINIS AQVILAE NIGRAE EQVITI
HEREDITARIO IN HORST DALHAVSEN BANSE-
KOW LIEPEN DKESOW BLVMBERG
ROHRFELD RELIQVA

DOMINO SVO ET MAECENATI
GRATIOSISSIMO

HOC QVIDQVOD EST ACADEMICI LABORIS
DEVOTA MANV MENTEQVE
HVMILLIME SACRAT
SEQVE SVAQVE OMNIA PATROCINIO EIVS
COMMENDAT

SERVVS AD CINERES VSQVE FIDISSIMVS
IOANNES REINHOLDVS KELLER
REGIOM, PRVS.

ILLVSTRISSIMO
ATQVE EXCELLENTISSIMO DOMINO
DOMINO
ADAMO LUDOVICO
A BLUMENTHAL
S. R. M. IN TRIVISA STATVS ATQVE FELIX
ADMINISTROR INTIMO ET DIRECTOR CET.
MAGNI ORDINIS AULICAE NIGRAE FOVITI
HEREDITARIO IN HORT. DALHAVSEN BANSE-
KOW LETEN DITSON ET CHERG
KONIGLICH REICHS
DOMINO SVO ET MAECENATI
GRATIOSISSIMO

HOC QVODVND EST ACADVMICI LABRIS
DEVOTA MANV MENTIOVE
HVMILIME SACRAT
SEQVE SVAGAE OMNIA PATROCINIO EVAS
COMMENDAT
SERVVS AD CIVITATE SVOR INDVSIAS
IOANNES REINHOLDVS KELLER
REGION TRIVS



* * * * *

Q. D. B. V.

DE

HEREDITATIBVS LIBERORVM
NATVRALIVM PATERNIS
ET MATERNIS.


§. I. **R**egula, circa diuidendas res, pluribus iure per-
fecto competentes, obseruanda. §. II. Exceptio-
nes ab hac regula. §. III. Honor coningii, cer-
titudopro, et conseruatio familiarum, suadent inaequalita-
tem seruandam, in hereditatibus liberorum iustorum, et ille-
gitimorum. §. IIII. Illegitimorum liberorum varia genera.
§. V. Naturales, hoc loco, quinam sint? Concubinatus et
Concubina quid sint? §. VI. Naturales, an notati infamia,
vel leuis notae macula laborent? §. VII. Naturales sunt
et honesti, et certa proles, iureque tantum stricto a iuri-
bus familiae arcentur. §. VIII. Hereditas quid, et quo-
modo deferatur? §. VIII. Controuersia, num naturalibus
ante Constantini M. tempora, prospectum fuerit, circa here-
ditates, proponitur. §. X. Examinaturque. §. XI. Na-
turalium hereditas testamentaria paterna, ante et post
Constantinum M. sequentesque Impp. §. XII. An praete-
titi naturales, possint infirmare testamentum patris, ma-
trisque? §. XIII. Eorundem hereditas legitima, vtriusque
parentis. §. XIII. In Prussia, quid hac de re sancitum
sit. §. XV. Naturales non succedunt in feudis. §. XVI.
Epilogus.

A

§. I.

§. I.

Regula cir-
da diuiden-
das res, plu-
ribus iure
perfecto
competen-
tes, obser-
uanda.



Probe et ex regulis acquitatis naturalis, magnum illud, inter Doctores iuris naturae nomen, illustris SAMVEL L. B. DE PVFENDORF, ei consulit, cui res, quae pluribus iure perfecto competunt, sunt diuidendae vel distribuendae, *vt tanquam aequales eos tra-* *det, et neutri quid prae altero indulgeat, nisi quantum peculia-* *re ius illi quaesitum adtribuerit. Qui enim vni prae altero* *indulgendo naturalem aequalitatem non obseruat, eum qui post-* *habitus est, contumelia simul, et iniuria adscit; dum neque ei,* *quod debetur, tribuit, et dignationem a natura datam de-* *trahit. a)* In omnibus quippe rebus, quae pluribus iure perfecto competunt, nemo prae aliis praerogatiuam sine iusta causa adfectare potest, quia fecus faciendo, peccaret contra legem naturalem: QVOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS. *b)* Hinc aequalis inter eos diuisio vt obtineat, fas aequitasque postulant, nec cuiquam praecipuum concedendum, nisi ius suum luculenter probare possit. Quae ratio facile mouere poterat IVSTINIANVM Imperatorem, vt abrogaturus antiquum succendi ab intestato modum, nouumque introducturus, differentias circa descendentes olim receptas, inter sexum virilem et sequiorem, inter suos et emancipatos, submoueret, omnesque liberos legitimos, siue masculos, siue feminas, siue suos, siue emancipatos, ad debitam successiorem adscendentium quorum-uis

a) Sam. L. B. de Pufendorf. *de I. N. et G. III, 2, 5.*

b) *Matth. VII, 12. Luc. VI, 31.*

uis vocaret, modo eos nemo antecedit. *c)* Omnibus enim aequale ius competit in bona parentum, et alterius conditio, in diuidenda hereditate paterna, prae altero deterior regulariter esse nequit, quum et illa *εογγη*, qua parentes liberos persequuntur, non minus erga feminas quam mares, omnesque liberos, ex aequo feratur. *d)*

§. II.

Est haec regula, circa diuidendas res, pluribus ^{Exceptio-} iure perfecto competentes, obseruanda, quae ut pluri- ^{nes ab hac} mum obtinet, non autem semper, quoniam admittit, ^{regula.} sicut aliae generis, exceptiones suas. Licitum etenim est Principibus et populis liberis, addendo et detrahendo iuri naturali, ius ciuile efficere, *e)* quoties sanctio eiusdem, qualis et praesens, quam praemisimus, ad permissiuum ius tantum, non vero ad praeceptiuum pertinet. Vnde euenit, ut legibus ciuilibus, aequalitas haec, diuersimode restricta et temperata sit. Ita in feudis reprehendimus, ad successionem regulariter filios admitti, exclusis filiabus. *f)* Facit huc dispositio LEGIS SALICAE: *g)* *de terra Salica nulla portio hereditatis mulieri veniat: sed ad virilem sexum tota terrae hereditas perueniat;* et LEX RIPVARIORVM, *h)* quae feminam in hereditatem *auitaticam* (auita bona, conseruationi familiarum destinata, hodie *Stamm-Güter* nuncupata,) succedere vetat. Quin vniuersale antiquis Germanis principium, de filiis in successibus praefereendis filiabus,

A 2

fuisse,

c) Nou. CXVIII. cap. 1. in pr. cap. 4. et 6.

d) Vlr. Huberus in prael. iur. ciu. de success. ab intest. §. 2. p. m. 268.

e) L. 6. pr. D. de instit. et iur.

f) 2. F. 36.

g) Lex Salica Tit. LXII. §. 6.

h) Lex Ripuar. Tit. LVI. §. 4.

4 DE HEREDITATIBVS LIBERORVM NATVRALIVM

fuisse, res adeo nota est, vt probatione indigere non videatur. Donec tandem posterioribus temporibus, ab hoc rigore paulatim recedere coeperunt. Nec ignota quoque sunt iura, quae filiis duplam portionem adsignant, filiabus simplam, vt in ducatu *Schlesuicensi*; et ius primogeniturae, iuxta quod filius natu maior bona paterna retinet, reliqui vero, cum filiabus, saltim praecipuum quid, alimentorum veluti gratia, accipiunt, vt in Britannia. De quorum iurium discrepantia, iam non sumus solliciti, ne vltra limites iustos nos extendamus. Cui volupe est, diuersa Germanorum statuta, hac in materia consulere, is praeter alios, IO. HIERON. HERMANNVM, *i*) adire poterit. Neque de successione in regna et imperia aliquid adiicere volumus, vbi circa ius priuatorum occupamur. Hoc tamen praetereundum non est, et pactis et vltimis voluntatibus, huius aequalitatis terminos, haud raro arceri. Prius, exemplo liberorum, ex matrimonio ad morganaticam procreatorum, patet, qui contenti esse debent portione, in pactis sibi definita, *k*) quod ita effert CORPVS IVRIS FRIDERICIANI: *l*) *Sie succediren auch nicht ibrem Vater (vielweniger dessen Verwandten) ab intestato, sondern müssen sich mit der Portion, die ihnen in der Heyrats-Notul ausgemacht worden, begnügen, welche auch nicht einmahl per donationem vel testamentum vermehret werden kann.* Posterius ex fideicommissis, maioratibus, minoratibusque, elucet. Ad quod inferendum, gentes et legumatores, variae rationes perducere potuerunt: nimirum,

con-

i) Io. Hieron. Hermann, *von der Erb-Folge ab intestato, Lib. I. cap. 2. §. 105. seqq.*

k) Illustr. Henr. de Cocceii, *de leg. Morganat. Sect. VII. §. 1.*

l) Corp. Iuris Frid. *P. I. L. II. Tit. III. Art. III. §. 61. pag. 61.*

conseruatio familiarum, inprimis illustrium; animaduertimus enim, cunctis fere eam cupidinem esse insitam, vt familias suas quam maxime velint florere. Deinde praerogatiua sexus, propter quam ad successiorem in regna, imperia et feuda, mares praeferuntur feminis, quia sexus masculinus prudentia, animique constantia excellere solet, nec feminae tamquam bellis gerendis idoneae dominum iuuare queunt. *m*) Non defuerunt quidem olim, neque hodierno aeuo defunt, exempla feminarum, prudentia, animique constantia et fortitudine celeberrimarum: sed quemadmodum haec ad exceptionem ad regulam pertinent, leges vero adtemperandae sunt circumstantiis, quales vt plurimum in rebus humanis obseruantur, quamuis aliquando aliter se habere possint; *n*) nemini sane mirum esse poterit, propter nonnullas feminas, quae sago vel toga praeclare eminuerunt, leges ab vniuersalitate sua, in alia non iuisse. Porro, honor coniugii et iusti matrimonii fauor, certitudoque prolis, vt constet, aliquem esse ex numero liberorum, has rationes augere valebant, quibus et aliae politicae se sociarunt, v. g. si quis ex minus ignobili natus sit matre. Respectu parentum vero, singularis affectus erga prolem morigeram, dignitas filii, commodumque quod ex ea, familia sibi ad crescendum praeuidet. Quandoquidem enim leges, patri facultatem concesserunt, inaequaliter dotare filias, dotemque non solum pro viribus patrimonii, sed etiam pro dignitate mariti constituere; *o*) nescio an vicio verti possit patri, ex eadem

A 3

ratione

m) Ge. Ad. Struuius, in *syntagm. iur. feud. cap. 9. th. 8. n. 1.*

n) *L. 3. 4. 5. 6. D. de legib.*

o) *L. 19. D. de rit. nupt. L. ult. C. de dot. prom. L. 60. L. 69. §. 4. D. de iur. dot.*

ratione, maiorem, vni prae alijs liberis, portionem patrimonii sui assignanti,

§. III.

Honor coniugii, certitudo prolis, et conseruatio familiarum, suadent inaequalitatem seruare, in hereditatibus liberorum iustorum, et illegitimorum.

Nemo non videt, ex rationibus hisce, quae circa hereditates, inaequalitatem inter liberos seruandam, haud raro suadent, non minimam istam esse, quae fundamenta posuit, in honore coniugii, iustique matrimonii fauore, vt constet aliquem ex numero liberorum esse. Quae sua se commendat aequitate; quia interest reipublicae, vt sit inter legitima coniugia et alios coitus discrimen, et vt constet, de certitudine prolis, ne hereditas ad eos perueniat, quorum causa, si quis sciisset, non esse ipsos a suo exortos satum, tanta industria atque cura, vix ac ne vix quidem, bona sua adquisiisset, seruasset ac cultus esset. Id enim natura parentibus bonis et prouidis insitum esse, experientia conuincimur, vt non ea propter tantum adquirant et opes congerant, vt sibi solis, quoad viuunt, bene sit, sed praecipue, vt et suis, maxime senioribus, et nulla re amplius indigentibus, bene sit. Quam in rem adposite EVRIPIDES: p)

Sed quibus in aedibus est liberorum

Dulce germen, eos videre curis

Confici omni tempore,

Primum quidem, quo pacto bene ipsos educent

Et vt victum relinquunt liberis.

Et alio loco: q)

Res est vehemens parere, et adfert ingens desiderium
Communeque omnibus est, vt laborent pro liberis.

Acce-

p) Euripid. in *Medea*. v. 1008.

q) Id. in *Iphigen. in Aulide* v. 917.

Accedit huic altera, quae in conseruatione familiarum praesidium suum inuenit, quoniam ex statu familiae, liberis qui eandem continuant, his autem deficientibus, aliis ad eandem pertinentibus, successio debetur, quod solidissimis argumentis probatum debemus, Reuerendissimo et Illustrissimo SAMVELI L. B. DE COCCEII, r) regiarum prouinciarum Cancellario supremo, et magno iustitiae coryphaeo, quas Serenissimus in CORPORE IVRIS FRIDERICIANI s) retinuit. Patet ex collatione horum iustitia discriminis, quam leges, circa hereditates, inter liberos legitimos, seu ex iustis nuptiis procreatos faciunt, et illegitimos. Cui rei diutius immorari iam opus non est, quum meminerimus, V. C. IO. HENR. BOECLERVM t) hanc telam accurate pertexisse, nobisque vix specilegium reliquisse.

§. III.

Non vnus tamen sunt conditionis liberi illegitimi. Quatuor eorum genera habemus, scilicet: *spuriis* rum libero- seu *vulgo quaesitos, adulterinos, incestuosos, et naturales vel* rum varia genera. *nothos*, iuxta ea quae clarius docet FRANC. HOTOMANNVS. v) *Spurius* seu *vulgo quaesitus*, nascuntur ex femina corpore quaestum faciente, seu meretrice publica, aut scorto meritorio, patreque incerto, quia huiusmodi prostibulum, corpus cum variis miscens, nomina-

re

r) Illustriss. L. B. de Cocceii, *in elem. iurispr. nat. et Rom. L. III. C. III. §. 45. L. III. §. 77.*

s) Corp. Jur. Frideric. P. I. L. I. Tit. VIII. Art. II. §. 21. p. 24. et Art. III. §. 34. p. 27. Part. II. Lib. VI. Tit. II. pag. 144. seqq.

t) Io. Henr. Boeclerus in Hug. Grof. *de iure belli et pacis ad Lib. II. cap. VII. §. 8.*

v) Fr. Hotomannus, *de spuriis et legitimatione cap. I.*

re non potest patrem, ex quo eundem conceperit. w)
Quam in rem ACCVRSIVS: x)

*Cui pater est populus, pater est sibi nullus, et omnis,
Cui pater est populus, non habet ille patrem.*

Vnde antiquitus etiam *fauonii* dicebantur, y) quasi sine patre et sponte, videlicet spirante Fauonio, concepti, hoc enim hausto, quaedam animalia concipere, veteres putabant, quorsum innuunt verba LVCRETII: z)

Viget genitalibus aura Fauoni,

et PLINII: a) *Hic est genitalis spiritus, a fauendo dictus;* et apud Romanos litteris SP. signabantur, b) quod erant SINE PATRE liberi. *Adulterini*, ex adulterio et violato thoro gignuntur: *incestuosus* vero, ex damnato coitu, a parentibus, qui propter leges, siue diuinas, siue ciuiles, nuptias inire prohibentur. *Naturales* vero, vel *notbos* quod adinet, isti iterum in vario significato a Ictis accipiuntur. I. Aliquando ita nuncupantur in seruitute suscepti. c) Et recte quidem ex mea sententia. Quamuis enim ex instituto reipublicae Romanae, eiusque iuribus,

w) §. 12. in fin. *Inst. de nupt. L. 23. D. de statu hom.* De origine verbi spurius, multa habet AEGID. MENAGIVS, in *amoenis. iur. ciu.* cap. 39. p. m. 357.

x) Accursius in *glossa ad dict. §. 12. Inst. de nupt.*

y) Isidor. *Origin. Lib. VIII. cap. 5.*

z) Lucret. I, 11.

a) Plin. XVI, 25.

b) Plutarch. *quaest. Rom. pag. 316.* Oifel. ad *Caui Inst. Lib. 1. Tit. 4. §. 8. n. 39.* in *Schultingii iurisp. Ante-Iustin. p. m. 41.*

c) L. 33. D. ad L. Aquil. L. 5. pr. D. *praeser. verb. L. ult. D. de iur. delib. L. 87. §. 12. D. de legat. II. L. 17. §. 1. D. quae in fraud. credit. L. 21. pr. D. de captiu. et postlim. reuers. L. 4. C. de interd. matrim. L. 2. C. si manc. ita fuer. alien.*

bus, serui pro rebus haberentur, et hinc inde iurium Quiritium plane incapaces fuerint; adeoque non nuptias, neque matrimonium, sed contubernium contraherent; d) quia tamen ciuilis ratio naturalia iura corrumpere non potest: e) nulla ratione id eis denegare poterant Quirites, quod iuris esset naturae. Natura vero patres sunt, qui liberos procreauerunt, et liberi naturales sunt, qui originem suam debent patri certo; per consequens liberi naturales hoc sensu et isti erunt, qui sunt suscepti in seruitute. II. Quoties naturales liberi, adoptiuis opponuntur, f) toties naturales sunt ex iustis nuptiis nati, id est, naturales et legitimi simul, quod de adoptiuis ideo dicere nemo potest, quia isti saltem iuris fictione pro legitimis habentur, et per fictionem in patriam alterius potestatem transeunt, non quod ab adoptiuo patre sint progeniti. Vnde liberis legitimis hoc nomen et post emancipationem manet, adoptiui autem suum facta emancipatione amittunt. g) Eodem sensu naturales opponit adoptiuis LIVIVS: h) *Maiores Philippus natura frater, adoptione filius: minor, quem Alexandrum vocabat, naturalis erat*, et alibi i) *P. Scipio is erat, naturalis consulis Pauli, adoptione Africani nepos*, immo et SVETONIVS: k) *Filiorum neque naturalem Drusum, neque adoptiuum Germanicum patria caritate dilexit*. Sic quoque

B
natu-

d) L. 14. §. 3. D. de rit. nupt. L. 3. C. de incest. nupt. Vlpian fragm. Tit. V.

e) L. 8. D. de cap. minut.

f) L. 5. D. de Senator. L. 5. D. de grad. et adfinit.

g) L. 4. D. unde liberi.

h) Liu. XXXVII, 52.

i) id. XXXVIII, 44.

k) Sueton. Tib. cap. 52.

naturalis pater, pro vero et legitimo, ad differentiam adoptiui, nominatur, l) et naturalis familia, opponitur adoptiuae. m) Tandem III. naturales dicuntur liberi, ex concubina suscepti, n) qui iustis opponuntur, ex legitimis nuptiis originem suam trahentibus, sicuti et patrem naturalem, iusto opponi iura nos docent. o) Dicuntur alias nothi, et phyfici liberi. Germani eos adpellant *bastardos*, p) quae significatio huius est loci, vnde de eorum statu et conditione iam paullo erimus sollertiores. q) Hoc praemonemus, non vnā eandemque esse posse illegitimorum conditionem, quum id ipsa eorumdem origo prohibeat, vbi cernimus alios ex damnato penitus concubitu nasci, alios ex minus illicito, quin, ceu iam probatum dabimus, ex legibus permisso. Quare in ipsis hereditatibus, alter altero liberalius habendus, quod suo loco se explicabit.

§. V.

Naturales,
hoc loco,
quinam
sint? Con-
cubinatus
est concu-
bina quid
sint?

Diximus (§. antec.) naturales nobis in hac tractatione nosse liberos, qui ex concubina, (addimus, vel alia persona honeste viuente) procreati sunt. Ergo quid sit concubinatus et concubina? a quibus temporibus haec consuetudo licita esse coeperit? quidque immutationis, iura liberorum naturalium, exinde circa hereditates

l) L. 29. D. de adopt. L. 8. pr. D. de in ius voc. §. 13. et 14. Inst. de hered. quae ab inest.

m) L. 1. §. 4. D. vnde cognat.

n) §. vlt. Inst. de nupt. L. vlt. D. de his qui sunt sui vel ali. iur. L. vlt. C. de confirm. iur. L. vlt. C. qui per. iur. L. 10. C. de nat. lib. Nov. CXVII. cap. 2.

o) L. 3. C. ad L. Iul. de adult.

p) Io. Ge. Wachter, in glossar. germ. pag. 127.

q) Praeciuit nobis haec in re, Romanae ecclesiae Cardinalis, GABRIEL PALAEOTVS, in tr. de nothis spurisq; liberis.

tates coeperint? paucis nunc tradendum est. Quod vt ordine persequamur, adtendendum est, ante *legem PAPIAM POPPAEAM* concubinatum et parum honestum visum esse, et inter concubinam, pellicem et meretricem, nullam paene fuisse differentiam, quin potius pro synonymis haec vocabula sumta esse. Quum enim pellex, (germanice *ein Kebs-Weib*) illa sit, quae corpus miscet cum marito, r) et ea propter pellicem habere, vir non dicatur, sed vxor, s) vnde HORATIVS: t)

Dominæque tradi

Barbaræ pellex:

meretrix vero mulier prostituta, quae palam quaestum corpore facit, vt loquitur VLPIANVS, v) vel vt AVGVSTINVS ait: w) *meretrices esse, quarum publice venalis est turpitude:* occurrunt apud auctores loca, vbi concubina, modo cum pellice, modo cum meretrice, in vno eodemque significato accipiuntur, sic CVRTIVS, x) Alexandrum, etsi coelibem, pellices habuisse scribit, PLAVTO vero, concubina est meretrix, a coelibe emta, in sequentibus: y)

Illam minorem in CONCVBINATVM sibi

Volz emere miles quidam, qui illam deperit.

Perlata vero lege PAPIA POPPAEA, concubinatus et concubinae vocabula, sensu paullo honestiore accipere consueverunt, et extra poenam legis positus est concu-

B 2

bina-

r) L. 144. D. de verb. signif.

s) Valla Lib. VI.

t) Horat. Carm. lib. III. Od. XXVII. v. 65.

v) L. 43. pr. D. de rit. nuptiar.

w) August. in quaest. in Deuteron. quaest. XXXVII. ad cap. 23.

x) Q. Curtius Rufus, de reb. gest. Alexandri M. VI, 6. 8.

y) Plaut. Poen. prolog. v. 102.

binatus, quia, vt ratiocinatur MARCIANVS, z) per leges nomen adsumsit, scilicet, *Iuliam et Papiam Poppaeam*, quae $\alpha\lambda\iota\epsilon\zeta\omicron\chi\iota\nu$ legum nomine veniebant. a) Ita enim de concubinato ibidem sancitum fuit: QVAS PERSONAS PER HANC LEGEM VXORES HABERE ESTO, b) ex quo tempore *Concubinatus* dicebatur, coniunctio maris et feminae, imparis conditionis, effectibus nuptiarum ciuilibus destituta. *Concubina* autem, quae vxoris loco sine nuptiis in domo est, c) dicta alias: *amica*, cum qua sine mendacio quis viuebat, d) *vxor gratuita*, quae per coemptionem in manum non conuenerat, e) *conuictrix*, f) item *sodalitaria*, g) et *focaria*, h) quasi foco adfens, quo faciunt verba PETRI DE VINÆIS: i) et non cum vxoribus dominorum, sed et in FOCARIIS etiam, eum pudicitia fidem, et cum fide pudicitiam obseruare; ipsaque loco vxoris habebatur, k) et ab vxore solo delectu l) et animi destinatione, dignitateque differrebat.

m) Quae

z) L. 3. §. 1. D. de concubin.

a) Lipsius *Excess. ad Tacit. Annales III. lit. C.*

b) L. 1. D. de concubin. Conf. illustris IO. GOTTL. HEINECCIUS, in *comment. ad L. Iuliam Papiam Poppaeam lib. II. cap. 4. §. 1. et 2. pag. 165.*

c) L. 144. D. de Verb. Sign.

d) L. 35. D. de aur. arg. aer. leg.

e) apud GRUTERVM in *inscript. pag. MCCXCV, 9. conf. EM. MERILLIVS, lib. II. Obs. cap. XV.*

f) apud eundem Gruterum *ibid. 8.*

g) *ibid. pag. IOLII, 5.*

h) L. 2. C. de donatt. inter vir. et vx.

i) Petr. de Vin. *Lib. V. epist. 6.*

k) et L. 144. D. de verb. signif.

l) Paul. *sent. recept. II, 20.*

m) Quae omnia indicio sunt, nullo penitus modo, liberos ex concubinato procreatos, cum spuriiis, reliquisque illegitimis, in vnam eandemque classem, esse collocandos. Sunt enim potius inter legitimos et illegitimos, medii, quia, ut dictum est, ceteri illegitimi, ex prohibito concubitu nascuntur, hi vero ex licito et legibus permisso. Vnde naturales vel nothos, illegitimos nominari posse, negat BARTOLVS, n) et GABR. PALAEO-TVS scribit: o) eos, hoc nomine quod illis nudum a legibus relictum est, adpellari, dicique naturales, quasi secundum ius naturale editi, nullo iuris adminiculo muniti. Nihil etenim fere praeter finem matrimonii, ad eiusdem substantiam, requirit ius naturae, et quas iura ciuilia, ex rationibus politicis, inuexerunt prohibiciones, veluti, ob imparitatem status, ob metum tyrannidis, ignorat, quamuis non reprobat. p)

§. VI.

Quamquam vero talis sit, naturalium liberorum conditio; non desunt tamen nonnulli, qui eos vel infamiae nota, q) vel saltem leuiter notatos esse, r) venditant. At, omnes hi egregie falluntur. Infamiam quippe, definiunt Icti, quod sit priuatio existimationis, ob violatam turpibus factis honestatem. s) Quonam vero facto tur-

Naturales,
an notati
infamia, vel
iuris notae
macula la-
borent?

B 3

pi,

m) L. 49. §. 4. D. de leg. III.

n) Bart. ad L. 3. D. de concub.

o) Gabr. Palaeotus, loc. alleg. cap. XI. n. 1.

p) Io. Gottl. Heineccius, elem. I. N. et G. II, 2.

q) Valase. Conf. XVII. Farinac. de delict. P. I. quaest. XIII. n. LII. Tusch. tract. Concl. Tom. VII. concl. CCCCXV. n. I. et XXI.

r) Ant. Faber, in Cod. lib. VIII. Tit. XXVIII. n. XX. Bachouius, ad Treutler. Vol. I. D. VIII. ad fin.

s) L. 17. C. ex quib. causis infam. irrog. L. 3. C. de remilit. L. 31. C. de decurion.

pi, naturales honestatem violauerunt, vt priuari ea propter possint exiſtimatione? Regeris forſitan: priuantur ob factum parentum. Sed nec hoc legibus eſt prohibitum, concubinatum enim legibus licitum et permiſſum eſſe, iam probauimus. (§. V.) Ponamus autem, hoc factum parentum prohibitum fuiſſe, fane exinde hoc ſaltem ſequeretur, parentes eſſe puniendos, non vero liberos, quia nescio, cur hiſce imputari poſſit delictum parentum? quum ex eorum voluntate nunquam ſtererit, an ex legitimo vel illegitimo coitu, procreari voluerint. Certe non perſpicio, quomodo valere poſſit conſequentia? turpes ſunt natales liberorum, ergo et turpis eorum conditio. Praeterea poena tenere debet auctores ſuos, *t*) et contra finem poenarum introductarum quis peccaret, ſi illos puniret, qui nullum malum actionis commiſerunt, quia ita, ſi innocui pleſterentur, nunquam meliores redderentur homines facinoroſi, nec poenarum exemplo, alii in officio continerentur ad delinquendum procliues. *v*) Quantum vero intereſt reipublicae, eiusdemque ſecuritati?

Ne vaga proſiliat fraenis natura remotis. w)

Vnde eos in edicto praetoris: DE HIS QUI NOTANTVR INFAMIA, *x*) relatos non reperimus. Porro naturales, immo et ſpurii, Romae, nec tribu mouebantur, nec a dignitatibus excludebantur, *y*) adeoque nec infames erant, nec leui nota inſigniti, quod recte contra IAC.

t) L. 20. L. 26. D. de poen. L. 16. L. 22. C. eod.

v) L. 1. §. 1. D. de iuſt. et iure. L. 20. D. de poen. L. 1. C. ad L. Inl. repet. Io Gord. Heineccius loco alleg. II, 8. 160. 163.

w) Horat. Lib. II. Serm. ſat. VII. v. 74.

x) L. 1. D. de his qui not. inf.

y) L. 3. §. 2. L. 6. pr. D. de decur.

IAC. GOTHOFREDVM, z) ostendit celeberrimus quondam ICTus, CHRISTIAN. THOMASIVS, a) et contra dubia ZACHARIAE HVBERI, b) luculenter euicit, illustris, IO. GOTTL. HEINECCIUS. c) Nec aliter gentes originis germanicae, olim de naturalibus seu bastardis fenserunt, ceu exinde colligere licet, ipsos nothos, titulum bastardi, adscripsisse nominibus suis, verbi gratia: *Ego Guilielmus cognomento BASTARDVS*, apud CAR. DV. FRESNE, d) sicuti et in Belgarum annalibus sacis notus est Antonius, filius naturalis Philippi Burgundiae ducis, quem tum vulgo vocabant, *de groote Bastard van Burgund*, qui nunquam ab hoc bastardi cognomento, in litteris suis abstinuit. Nec defunt viri docti, qui bastardos, nobilitatem retinere patris, contendunt. e) Hoc saltim certum est, alicubi locorum, permixtum esse naturalibus, insignibus parentum uti, cum hac differentiae nota, ut baculus interiectus, quem vocant *barram*, in clypeo seu insigni, incipiat a sinistris, et desinat in inum lacus dextrum, quum naturales sint, quasi filii sinistrae, f) id quod in Germania, Francia et Bri-

z) Gothofr. *ad L. 3. C. Theod. de inoff. test.*

a) Christ. Thomafius, *diff. de usu pratico doct. Inst. de liberorum legitimatione*, Cap. I. §. III.

b) Zach. Huberus, *de cast. enucl. quaest. III. VIII. pag. 60.*

c) Io. Gottl. Heineccius, *in diff. de leuis notae macula* §. 32. Cui iunge Gabr. Palaeotum, *de nothis spuriiisque filiis cap. LV.*

d) Car. da Fresne, *in glossar. med. et infim latinis. Tomo I, p. 502. edit. nouiss.*

e) Gabr. Palaeotus, *rr. ct. cap. LXI.* Franc. Hotomannus, *de spuris et legitimatione cap. V.* Math. Stephani, *de nobilitate civilis, cap. V. n. 90. 91.*

f) Petr. Gregor. Tholof. *lib. XXXV. cap. 6. n. 6.* Io. Limneus, *de iur. publ. lib. VI. c. 6. n. 17.*

Britannia ita seruari adferit NIC. DE VBALDIS DE PERVSIO, g) de naturalibus Francicis vero firmat PHIL. IAC. SPENERVS, cuius verba sic se habent: b) *Quod NATVRALES, vel ex naturalibus ortos concernit: Regis filius D. VEROMANDVORVM, in regii paterni scuti medio, addit bacillum rubeum, ex laeua in dextram conuersum: quod etiam Dux VERNOLIVS HENRICI III. filius seruat. VENDOCINENSIS ex HENRICO III. linea Vindocinensibus insignibus vtitur, quae sunt Borbonia, in scriptis scipioni tribus leunculis argenteis.* Quod si igitur verum est, quod docet MATTHIAS STEPHANI, i) per concessionem armorum et insignium, ipsam conferri nobilitatem: sua sponte exinde flueret, naturalibus, in iis locis, quibus patris arma retinere ipsis licitum est, nobilitatem competere. Ego modo in probanda hac thesi, periculum non faciam,

quid ferre recusent,

Quid valeant humeri, k)

quia haec lis ad praesentem disputationem non pertinet, vbi non de nobilitate naturalium, sed de eorum hereditatibus paternis et maternis, verba facere constitui. Ergo, quae hac de re inferui, obiter et veluti in transitu dicta sunt. Hoc monemus, vel addimus, insequentibus temporibus, multo odio esse coepisse, liberos extra legitimum matrimonium natos, ex quo nempe canones,

Pon-

g) Nic. de Vbald. de Perus. *tr. de success. ab intest. n. 53. seq.* Sam. Strykius *de success. ab intest. Cap. II. Art. I. §. 36.*

b) Iac. Philip. Spener. *in Opere heraldico, Part. special. Lib. I. cap. 24. §. 36.*

i) Matth. Stephani, *de nobilitate civili, cap. V. n. 27.* Tiraquellus *de nobilitate cap. VI. n. 12. seqq.*

k) Horat. *de arte poet. v. 39.*

Pontificumque constitutiones, omnem coniunctionem, extra matrimonium, prohiberent, ipsumque concubinatum, quamvis usu satis frequentem, pro illicita consuetudine haberent.

§. VII.

Adparet ex traditis, et honestam esse liberorum naturalium conditionem, et respectu patris non incertam eorumdem originem. Quae enim alias illegitimis obuertuntur hoc in passu, non naturalibus proprie opponitur, sed *vulgo conceptis, qui patrem demonstrare non possunt, vel qui possunt quidem, sed eum habent, quem habere non licet*, vt ait MODESTINVS. l) Res clara fiet ex sequenti disputatione. Nimirum basis et fundamentum, omnis certitudinis, quae pro patre respectu sobolis est, in iustis nuptiis latet, m) vnde oritur praesumptio illa iuris: *pater is est, quem nuptiae demonstrant*. n) Examinemus nunc iam, quibus argumentis permoti fuerint Romani, vt ita rationes suas subducerent. Certe non inuenio aliam, quam sequentem. Animaduertebant scilicet, quod vxor indiuiduam vitae consuetudinem, et consortium omnis vitae, cum marito ineat, o) vna cum eo habitare teneatur, p) et sic sub custodia mariti constituebatur; ergo ex hoc arcto et indiuiduo vitae genere, concludebant, non ab alio concepisse vxorem, quam a marito, et inde praesumebant, *patrem esse, quem iustae nuptiae demonstrant*. Omnia haec vero in illegitimo

Naturales sunt et honesti, et certa proles, iureque tantum stricto a iuribus familiae arcentur.

C

coi-

l) L. 23. D. de stat. hom.

m) L. 6. D. de his qui sui, vel al. iur.

n) L. 5. D. de in ius voc.

o) §. 1. Inst. de patr. potest. L. 1. de rit. nupt.

p) L. 7. L. 8. de usu et habit. L. 5. D. cod. L. 1. §. 15. D. ad SC. Sillan.

coitualmente se habebant. Recensuimus iam rationem, cur in spuriiis incertus visus sit pater, supra. (§. III.) Vnde praesumptio nunc modo allegata, in fauorem eorum nullo modo trahi poterat. Firmabant igitur thesin, in spuriiis incertum esse patrem, vel plane nullum, certam vero matrem, quia exstat de certitudine ipsius testimonium, inueniuntur enim, qui quaeue partui, et educationi adfuerunt, matremque certam euincere possunt. Quis vero eodem modo de naturalibus ratiocinaretur? Concubina habetur loco vxoris, atque ab ea solo delectu et animi destinatione differt; (§. VI.) et vnus saltem viri, cum vna muliere concubinaria consuetudo esse debet, nefasque erat, duas simul habere concubinas, q) quia semper turpis ac infamis visa est vita, *inter supra concubinarum, et oscula, vel mollia concubinarum et spadonum agmina* transacta, r) quin concubina, si sese alteri prostituuerit, adulterii rea erat. s) Sane produnt haec omnia, non tantum dignitatem concubinitatis, verum etiam indiuiduam eiusdem consuetudinem, quia indiuidua consuetudo dicitur, quoduis arctius consortium, quando homines vna viuunt, nec vnus ab alterius latere facile discedit. t) Quae simul testimonio esse possunt, de certitudine prolis, quia et concubina sub custodia concubinarii constituta est, et cum eo simul habitare tenetur. Vnde GROTIVS ex eodem principio, quia pater naturalium est certus, eos ad hereditatem paternam vocat:

q) Non. XVIII. cap. 5.

r) Tacit. lib. 1. historiar. cap. LXXII. lib. III. cap. XI.

s) L. 13. D. ad L. Int. de adult. coerc.

t) Marquardus Freherus, *Verosimil. Lib. I. cap. II.* adde AVGVSTIN. DE LEYSER *medit. ad D. sp. DLXXXV. Vol. VIII.*

vocat: v) si alio, inquit, quouis modo constet, quis fuerit pater, aut pater id pro explorato habuerit, naturaliter is partus non minus quam alius quouis succedet. Quidni quum etiam extraneus palam pro filio habitus, quem adoptatum vocant, succedit ex coniectura voluntatis? Cum quo facere videtur laudatus SAM. L. B. DE PVFENDORF.

w) Quibus rationibus et haec accedit, parem aequae in naturales quam in legitimos cadere parentum amorem, et proinde etiam pro naturalibus eos acquirere, eosque propterea ab hereditate minime esse excludendos: quin et principium istud, naturales non esse in familia, in stricto iure modo fundatum est, non in aequitate naturali.

§. VIII.

Digna singulari tractatione mihi visa est, de hereditatibus liberorum naturalium, paternis et maternis, materia, cuius aequitatem nunc modo tuiti sumus. Ut vero ordine et bona methodo procedamus, prius, quid sit hereditas, et quomodo deferatur? perspiciamus, quam ipsum thema adgrediamur. Definiunt Icti hereditatem, quod sit successio in vniuersum ius quod defunctus habuit. x) Quam eodem modo traditam habemus in CORPORE IVRIS FRIDERICIANI: y) *Durch die Erbschaft verstehen wir aber eine Nachfolge in alles Recht, was ein Verstorbener hinterlassen hat.* Ius vero istud defuncti, in quod heres succedere potest, ita comparatum esse debet, vt ad heredes transire valeat. Quodsi enim cum persona defuncti expiret, heredi in illud nullum competit ius, veluti in

C 2

vsu-

- v) Hug. Grot. de iure belli et pacis lib. II. cap. VII. §. s. n. 1.
 w) Pufendorf, de iur. nat. et Gent. Lib. III. cap. XI. §. 9. 10.
 x) L. 24. D. de V. S. L. 62. D. de R. I.
 y) Corp. Iur. Frideric. P. II. Lib. VI. Tit. II. §. I. pag. 145.

vsufructu, 2) reliquisque seruitutibus personalibus, et aliis huius generis iuribus. Defertur autem hereditas, vel ex testamento, vel ab intestato, quarum prior, scilicet successio testamentaria, excludit posteriorem, quia, *quandui potest ex testamento adire hereditas, ab intestato non defertur.* a) Hinc successio liberorum naturalium, in bona parentum, est vel testamentaria, vel ab intestato, seu legitima. De vtraque hic differendum est, resque ab exordio proponenda, dum variae, hac in re, contigerunt mutationes.

§. VIII.

Initio statim nos offendere videntur verba Imperatoris IVSTINIANI sequentia: b) *Naturalium nomen Romanae legislationi dudum non erat in studium, nec quaelibet circa hoc fuerat humanitas, sed tanquam alienigenum aliquid et omnino alienum a republica putabatur: a CONSTANTINI vero piae memoriae temporibus in constitutionum scriptum est libris.* Qui textus varium in modum interpretes iuris fatigauit. Quum enim in Digestorum libris, de naturalium hereditatibus mentio iniecta est, IAVOLENVS que c) PAVLLVS, d) et HERMOGENIANVS, e) ICI naturalium, a patribus institutorum, meminerint, praeterea quoque, *SCtis Tertulliano f) et Or-*
phi-

- 2) §. 3. *Inst. de vsufr.* Prensck-Land-R. P. II. Lib. III. Tit. III. Art. I. §. 12. pag. 37. *Corp. Iur. Frider. P. II. Lib. IV. Tit. III. §. 19. pag. 101.*
a) L. 39. D. de adq. vel omit. hered. Prensck-Land-R. P. II. Lib. V. Tit. XII. Art. I. §. I. pag. 255.
b) *Nov. LXXXIX, pr.*
c) L. vlt. D. de iur. delib.
d) L. 45. D. de vulg. et pupil. subst.
e) L. 7. de confirm. iur.
f) §. fin. *Inst. ad SC. Tertul.*

phitiano g) iis prospectum animaduernerint, quae omnia ante allegatam IVSTINIANI nouellam constituta et sancita sunt; non poterant se ex hisce tricis, altero modo explicare, ICTi, nisi vel antinomiam admitterent, vel IVSTINIANVM aperti erroris arguerent. Vnde ALCIATVS *h)* vt haec in ordinem redigat, tempora distinguit, ante ANTONINVM CARACALLAM, et quae eum sequuntur, putatque, ante hunc Imperatorem cum naturalibus, nullam fuisse testamenti factionem, patremque iis in testamento hoc modo prospicere non potuisse, quia tum temporis, latinae seu libertinae conditionis censabantur huiusmodi liberi, *i)* qui tamquam peregrini, heredes scribi non poterant; *k)* ex quo vero ANTONINVS CARACALLA, discrimen hoc, inter ingenuos in orbe Romano sustulit, *l)* peregrinosque ciuitate Romana donauit, eo ipso naturalibus ius testamenti factionis concessit. Sed recte hoc dubium remouit laudatissimus PALAEOTVS, *m)* exinde, quod ante ANTONINI CARACALLAE tempora, naturalibus ius ciuitatis competiisse, nemo in dubium vocauerit, quia iuxta ea, quae antea adtulimus, (§. VI.) et honorum et munerum capaces fuerant naturales, sicuti in marmore apud GRVTERVM, *n)* C. MAMERCIVS IANVARIVS, *Paulli Paccii Ianuarii, ex Mamercia Grapta, filius naturalis, Quaestor, Aedilis, Praetor, et Duumuir quinquennialis*

C 3 iterum,

g) §. penult. *ibid.* ad SC. Orphit.

h) Andr. Alciatus, *pareg. lib. IV. cap. 5.*

i) L. fin. D. de iur. delib.

k) L. 7. C. de hered. instit.

l) L. 17. D. de stat. hom. Excerpt. Peiresc. p. 745. Ez. Spanhem. Orb. Rom. II. 6.

m) Gabr. Palaecotus, *loc. cit. cap. 35.*

n) Gruter *Inscript. p. CCCCXXXIV, 4.*

iterum, adpellatur, quae dignitates in peregrinum nunquam conferri poterant. Cui sententiae, nec Graecorum leges obuerti possunt. Quamuis enim ex SOLONIS legibus adpareat: o) *spurio non esse cognationem filiis existentibus legitimis. Si autem filii non sint legitimi, his qui proximi sunt genere, participationem esse rerum:* vnde DD. vulgo colligere solent, non fuisse vlllo modo naturales, paternae hereditatis participes, quamdiu legitimi superauerint, iisque patrem, neque in testamento consulere potuisse; non tamen haec aliter, quam per miram consequentiam, exinde produci, quilibet vel me non monente, intelliget. Deinde, haec praeliminaris quaestio prius decidenda erat, vtrum hanc legem Graecam, suis adoptauerint Romani? vbi notum est, non omnia in LL. XII. Tabularum ex Graecorum legislatione migrasse, multaque ex moribus antiquis, et consuetudinibus patriis, in iisdem vel retenta, vel de nouo inserta esse. p) Hoc certum est, in fragmentis earumdem, quae hodie extant, peculiarem, de naturalium hereditatibus, non reperiri sanctionem. MARIANVS vero SOCINVS, subtilis profecto Ictus, aliter hanc litem sopiendam, putat, apud PALAEOTVM nostrum, q) ita nimirum, vt textus hos in eorum numerum referamus, quos compilatores corporis iuris, pro more suo, Digestis adfuerunt, quamuis in antiquorum Ictorum scriptis locum non inuenerint, sed recentioribus demum constitutionibus, et Iustinianeis sanctionibus, fuerint inuecta. Et sane negandum non est, dedisse IVSTINIANVM, iuris architectis,

o) apud Aristophanem in *anibus*.

p) Io. Gottl. Heineccius, in *hist. iur. I, II, 28. p. 25.*


q) Palaeotus, *loc. cit.*

rectis, hanc facultatem, r) *ut si quid in veteribus non bene positum libris inuenerint, vel aliquid superfluum, vel minus perfectum: (superuacua longitudine semota, et quod imperfectum) est, repleant, et omne opus moderatum, et quam pulcherrimum ostenderent. Hoc etiam nihilominus observando: ut si aliquid in veteribus legibus, vel constitutionibus, quas antiqui in suis libris imposuerunt, non recte scriptum inuenerint, et hoc reformarent, et ordini moderato traderent, ut hoc videatur esse verum, et optimum, et quasi ab initio scriptum, quod ab illis electum, et ibi positum fuerit. Et nemo ex comparatione veteris voluminis, quasi vitiosam scripturam arguere auderet. Cuius mutationis ineundae, hanc rationem adiicit Imperator: Cum enim, ait, lege antiqua, quae Regia nuncupatur, omne ius, omnisque potestas populi Romani in Imperatoriam translata sunt potestatem: nos vero sanctionem omnem non diuidimus in alias, et alias conditorum partes, sed totam nostram esse volumus; quid possit antiquitas nostris legibus abrogare? et in tantum eadem omnia, cum reposita sunt, obtinere: ut, si aliter fuerint apud veteres conscripta, in contrarium autem in positione inueniantur, nullum crimen scripturae imputetur, sed nostrae electioni hoc adscribatur. Vnde, quemadmodum iam antiquis in usu fuit, ut omnes constitutiones, ad explicandam legem comparatas, ipsius legis nomine insignirent, quod multis exemplis demonstrauit, illustribus HEINECCIUS; s) ita a TRIBONIANO idem esse obseruatum, vel ex hoc exemplo elucet, quod in temeratores aliarum nuptiarum, ex lege *Iulia de adulteriis coercendis*, poenam gladii sancitam fuisse, statuatur, t) quum tamen*

r) L. 1. §. 7. C. de vet. iur. enucl.

s) Io. Gottl. Heineccius, in comment. ad L. Iul. Pap. Lib. 1. cap. 4.

t) §. 4. Inst. de public. indic.



tamen euitum fit, ex lege Iulia, saltim relegationem in insulam, et publicationem partis dimidiae bonorum adulteri, dimidiae vero dotis et tertiae bonorum adulterae, dictatam esse, v) CONSTANTINVM vero MAGNVM, primum poenam gladii statuisse, w) et adulteram tantum verberandam, ac in monasterium detrudendam, IVSTINIANVM disposuisse, ita, vt si maritus eam, intra biennium in thorum recipere nolit, adtondatur. x) Sed nullus me determinare possum, vt alteram ex his opinionibus amplectar. Praeposterum enim esse reor, prius in alterius ire sententiam, quam perspectis textibus, y) qui tamquam obstantes, perhibentur, et boni interpretis officium id postulare existimo, vt priusquam locum tanquam obstantem, condemnet, vel pro interposito declaret, aut criticam falcem eidem adhibeat, regulam Medicorum adtendat, quibus tunc demum

Immedicabile vulnus

Ense rescindendum est, si pars sincera trabatur. z)

§. X.

Examina-
turque.

Profecto, non inuenio binos priores textus, de liberis naturalibus, ex concubina progenitis differere. Ille enim, quem ex IAVOLENI *Lib. III. ex posterioribus* LABEONIS in Digestis habemus, a) de filio liberti-
no

v) Paulus, *recept. Sent. II, 26, 14.*

w) L. 30. §. 1. C. ad leg. Iul. de adult. coercend.

x) *Nov. CXXXIII. cap. 10.* Vnde mirum est, Tribonianum hic acriter defendi a Viris doctissimis, MARCO LYCKLAMA A NYEHOLDT in *membranis ecloga 9.* et BARTH. LEONH. SCHWENDENDOERF. FERRO, ad Eckolti *Pandectar.* pag. 1318.

y) L. 24. D. de legib.

z) Ovid. *Metamorph. I, 190.*

a) L. ult. D. de iur. delib.

no loquitur, quem pater in contubernio genuit. De hoc in proposita specie disputant Icti in textu citato, non vero de institutione naturalis, ex concubina prodi. Iste vero, quem ex PAVLLI *Lib. XII. Responsum b)* excerptum legimus, manifeste quidem de naturali quaestionem tractat, IVSTINIANO autem contradicere non videtur. Porro illud, quod ex dispositione *SCtorum Tertulliani, c)* et *Orphitiani, d)* trahunt argumentum, etiam huius non est loci, quia SCra haec, de plane alio casu, sunt sollicita, nimirum, verum illegitimi et spurii, maternarum hereditatum, sint capaces? qui nostram non tangit quaestionem principalem, ubi id rogamus, utrum naturales, patris sint heredes, et quomodo? Solus ergo superior, et HERMOGENIANI textus remanet, sequentis tenoris: *e) Naturali filio, cui nihil relictum est, tutor frustra datur a patre, nec sine inquisitione confirmatur.* Loquuntur hi, de naturalibus ex concubina natis, et docent nos, licuisse patri in testamento, iisdem aliquid relinquere, unde non poterat dicere IVSTINIANVS, a CONSTANTINO demum, naturalibus esse consultum. (§. VIII.) Sed quamquam haud diffitear, permixtum fuisse Romanis, naturales liberos, deficientibus aliis, heredes in testamento instituere, quod iam ipsum probare, mox adnitar; nescio tamen, cur ob hos textus, dicam scribunt Principi nostro. Non inuenio etenim, istud negasse IVSTINIANVM, sed modo de eo conquestum esse, ante CONSTANTINI M. tempora, nullam existuisse legem, quae sanxisset,

D

quanta,

b) *L. 45. D. de vulg. et pupil. subst.*

c) *§. fin. Inst. ad SC. Tertul.*

d) *§. penult. ibid. ad SC. Orphit.*

e) *L. 7. pr. D. de confirm. tut.*



quanta naturalibus liberis portio in testamento relinqui deberet, ita enim in proprio et genuino sensu sine interpretatione sumenda sunt IVSTINIANI verba: *f) Naturalium nomen Romanae legislationi dudum non erat in studium, nec quaelibet circa hoc fuerat humanitas, sed tamquam alienigenum aliquid et omnino alienum a republica putabatur.*

§. XI.

Naturalium
hereditas
testamenta-
ria paterna,
ante, et post
Constantini-
um M. fe-
quentesque
Impp.

Ita nimirum se res apud priscos Romanos habebat. Adnumerabantur naturales heredibus extraneis, seu voluntariis, quia non erant sui, neque sui et necessarii, nec necessarii. *g)* Quodcumque ergo iuris compete-
tebat extraneis, circa testamenta, illud compete-
tebat naturalibus. Iam vero, in vulgus notum est, extraneos,
modo cum illis testamenti factio esset, heredes scribi po-
tuisse, ergo et naturales. Cum his enim testamenti fa-
ctionem fuisse, vel exinde discimus, quod nullibi in iure,
ante CONSTANTINVM M. istos, inter eos positos
legamus, quibus aliquid ex testamento capere, legisla-
tores sanctionibus suis vetarunt. *b)* Sed hoc posteriori-
bus temporibus immutatum est, et quidem primo a CON-
STANTINO M. Hic enim Imperator Christianus,
reputans secum, concubinatum cum principiis Christia-
nismi minus recte connenire, omnem nauauit operam,
vt eum extirparet. Quum vero animaduerneret, inue-
teratum hunc morem, cui tenaces inhaerebant homines,
semel et simul submoueri non posse, obliqua ingressus
est

f) Nou. LXXXVIII. pr.

g) §. 1. et 2. Inst. de hered. qual. et diff. L. 57. §. 2. D. de acqu. vel omit. hered. L. 33. §. 1. D. de testam. milit.

b) DD. ad tit. D. de hered. insti.

est via, iisque usus remediis, ut ciues eo perduceret, ut
 quas haftenus concubinas habuerant, eas in posterum
 vxores habere mallerent. Quod ut efficeret, et modum
 legitimandi per subsequens matrimonium induxit, *i)*
 quo ipso patribus, qui cum concubinis iam pacta dotalia
 inierunt, concessit, ut liberos naturales, in patriam reci-
 perent potestatem, omnibusque exinde promanantibus
 commodis perfruerentur, veluti, ut bona eorum accipe-
 rent. *k)* Hoc modo, paucis annis concubinatum abro-
 gatam iri praesumebat. Non enim, quod postea usus
 probauit, hanc constitutionem suam, ad eos, qui in poste-
 rum ex concubinis nascituri essent, prorogare volebat,
 sed ut, quod recte obseruauit DES. HERALDVS *l)*
 liberi, qui ante id tempus ex concubinis procreati fue-
 rant, huius beneficii participes fierent, eoque inuitati pa-
 rentes, tanto aequiore animo, iustas nuptias concubina-
 tum anteferrent. Deinde, quum licitum, permissumque
 fuisse cernebat, liberis naturalibus donare, legare, eosque
 heredes instituere, ademit patribus hanc facultatem *m)*
 ut ita facilius cum concubinis tabulas signarent ciues,
 dum viderint, nullo modo proli ex concubina susceptae,
 se prospicere posse, ab hoc enim tempore nunquam
 naturales vllatenus successisse leguntur. Mitigauit ta-
 men hunc rigorem VALENS et VALENTINIANVS
 Imp. qui patri permisissent, ut si non alios legitimos
 filios suscepisset, et utroque parente orbatus esset, tres

D 2

vncias

i) Non exstat haec CONSTANTINI constitutio. Meminit tamen eius
 ZENO Imp. in *L. 5. C. de natural. lib. et IVSTINIANVS in Nov.
 LXXXVIII. pr.*

k) Dyonis. Halic. *Antiquit. Rom. lib. VIII.*

l) Des. Herald. *Lib. 1. rer. et quaest. quotid. cap. IIII. §. II.*

m) *L. 1. C. de lib. nat. L. 1. C. Theod. cod.*



vincias naturalibus, cum eorum matre communicandas, relinquere facultatem haberet, alioquin vnciam tantum, vel soli concubinae semiunciam. Verba huius constitutionis, (merentur enim vt adponantur, quia non in omnium bibliothecis, Codex Theodosianus reperitur) sunt sequentia: *n) Placuit manentibus ceteris, quae de naturalibus liberis Constantinianis legibus cauta sunt, haec tantummodo temperare, vt is qui heredem, heredisue filios ex legitimo matrimonio, vel nepotes, qui filiorum loco habiti sunt, patrem quoque matremue dimittit, si ex consortio cuiuslibet mulieris naturales susceperit, vniam tantum bonorum suorum, et hereditatis vnciam naturalibus vel mulieri donandi aut relinquendi habeat facultatem. Si quis vero nullo ex his quos excepimus, superstiti moriatar, atque ex muliere, quam sibi adiunxerat, naturalem, pluresue dimittat, vsque ad tres tantum vncias, tam in mulierem, quam in naturales, quo maluerit, iure transcribat. Cuius legis tenorem nobis quoque seruaui PAPIANVS. o) Hanc istorum Imperatorum constitutionem, quoad partem priorem, paucis adiectis, retinuerunt ARCADIVS et HONORIVS AA. p) THEODOSIVSque iunior firmavit, cuius constitutio in Codice Theodosiano ita legitur: q) *Naturales liberi, eorumque matres, nec parentum arbitrio in successionebus ceterisque modis, quibus rei mobilis et immobilis dominium confirmatur, passim et sine legis distinctione congrua permittantur, nec tamen legis quae nuper lata est, asperitate premantur, quum satis sit secundum priorem constitutionem,*
aut*

n) d. L. 1. C. Theod. de lib. nat.

o) Papianus, Respons. Tit. XXXVI. apud Schulting. in iurisp. Ante-Iustin. pag. 849.

p) L. 2. C. de lib. natur.

q) L. 2. C. Theod. eod.

aut exstantibus iustis liberis, aut etiam non exstantibus, id tantum consequi, si patris deferatur arbitrio, quod per eam iusta moderatione decretum est, ceteris quae de eorum matribus, libertis libertinisque uouam constitutionem decreta sunt, in sua manentibus firmitate. Quod trium vnciarum lucrum IVSTINIANVS altero tanto auxit, in constitutione sequenti: r) Humanitatis intuitu, naturalibus patribus hoc indulgemus, ut liceat eis, nulla legitima sobole, vel matre subsistente, naturalem, vel naturales filios, matremque eorum non tantum ex tribus vnciis, (quod praeteritae leges permittebant) sed etiam ex duplici portione, id est sex vnciis heredes scribere; ut licet ab intestato nullam communionem ad patris naturalis successionem habeant, ex suprema tamen eius voluntate permittatur eis usque ad praedictas sex vncias (si hoc scilicet naturalis pater voluerit) hereditatem eius capere: ita tamen ut memoratam sex vnciarum quantitatem, in omnibus naturalibus filiis et matre eorum minime testator excedat: quam et in legatis, et in fideicommissis eis relinquendis, et dotibus, et donationibus tam aliis, quam ante nuptias usque ad sex vnciarum aestimationem liberam similiter naturalibus eorum patribus damus potestatem. Haec autem in futuris tantum modo testamentis, vel ultimis voluntatibus, vel dotibus, vel donationibus locum habebunt. In quo eius cura non substitit, sed noua denuo constitutione legem tulit, ut si quis sine legitima prole decederet, naturalibus omnia bona sua, vel viuens largiri, vel in testamento relinquere possit, salua, quae superstitibus parentibus deberetur, portione. Concurrentibus autem naturalibus cum iustis, eos ad vnciam tantum admitti iussit. s) Quid hac de re in CORPORE

D 3
IVRIS

r) L. 8. C. de lib. nat.

s) Nou. LXXXVIII, cap. 12. auth. licet C. de nat. lib.



IVRIS FRIDERICIANI cautum fit? subsequens docebit locus: *t) Es können auch unehliche Kinder nicht über einen Theil des Vermögens, folglich nicht als in einer vnicia, zu Erben eingesetzt werden, wenn entweder eine Eheliche Haus-Frau, oder eheliche Kinder vorhanden sind: wann beyde nicht vorhanden, kann ein Vater seinen unehlichen Kindern auch sein gantzes Vermögen überlassen.*

§. XII.

An praeteriti naturales, possunt infirmare testamentum patris, matrisque.

Talis est successio testamentaria liberorum naturalium in bona patris. De hac suboritur, quaestio; vtrum naturales a patre in testamento praeteriti; illud impugnare possint et infirmare? Monuimus in antecedentibus (§. XI.) iure extraneorum seu voluntariorum heredum, naturales in testamento patris institui, vnde portio illa, quam IVSTINIANVS illis assignare concessit, (§. XI.) non est legitima, nec ex huius iuribus diiudicanda, quare naturalibus, contra testamentum patris, nulla datur querela, v) nec patri necessitas incumbit, vltam de iis in testamento mentionem facere. w) Quam in rem CORPVS IVRIS FRIDERICIANI ait: *x) Es kann diese sexta dem spurio per testamentum entzogen werden.* Ast, hoc tantum intelligendum est, de testamento patris, non vero de testamento matris, respectu cuius naturales dicuntur legitimi, y) et proinde hisce illa debet legitimam. Quare si vtiliter vult testari, voluntatemque supremam, postquam ad plures abierit, integram

t) Corp. Iur. Frid. P. II. Lib. VII. Tit. 4. art. 1. §. 9. n. 6. pag. 168.

v) Tusch. Tomo. V. pract. concl. L. 50. concl. 182. n. 34.

w) L. fin. C. de nat. lib.

x) Corp. Iur. Frid. P. II. Lib. VI. Tit. III. §. 5. n. 3. pag. 147.

y) §. 4. Inst. ad SC. Orphit. L. 2. D. vnde cognati.

gram seruare, necesse omnino habet, vt naturales vel heredes instituat, vel nominatim et ex iusta causa, exheredes scribat. z) Excipit quidem ANDREAS GAILLIVS a) cum aliis; matrem illustrem, ob legem illam, quam IVSTINIANVS ipsi pudicitiae dedicauit; b) verum hic textus, quem pro se dissentientes allegant, quaestionem contra ipsos decidit. Hunc etenim ibidem proponit casum Imperator; *si qua illustris mulier, filium ex iustis nuptiis procreauerit, et alterum SPVRIVM habuerit, CUI PATER INCERTVS sit.* Non ergo de naturalibus liberis loquitur lex, sed de vulgo quaesitis. c) Quare nescio, cur hanc limitationem admittere debeamus? Consentiunt REIN. BACHOVIVS d) et celeberrimus SAM. STRYKIVS. e)

§. XIII.

Nunc iam ad hereditates ab intestato, siue legitimas, tam paternas quam maternas, liberorum naturalium, transeamus, vbi iterum magnam differentiam iurum, quae ante IVSTINIANVM in vigore fuerunt, et quae ab hoc postea introducta sunt legibus suis, reprehendimus. Priscis nimirum temporibus, longe alio fundamento nitebatur haec materia. Quum enim in *LL. XII. Tabularum* cautum fuerat: f) **AC SI INTESTATVS**

z) §. 3. *Inst. ad SC. Orphit.* Valq. *de success.* L. 1. §. 10. Forster *de success. ab intest.* Lib. VI. cap. II. n. I.

a) Gail. *Lib. II. Obs.* 112. n. 20.

b) *L. penult. C. ad SC. Orphit.*

c) Salicet. *ad. d. L. penult. C. ad SC. Orphit.*

d) Bachou. *ad Treutler.* Vol. 1. *disp.* 13. *lib.* 2. *lit.* C.

e) Sam. Stryk. *de cant. testam.* cap. XVII. *membr.* 1. §. 8.

f) Vlpian. *Tit. XXVI, 1. Collat. Mosaic. et Roman.* *LL. Tit. vlt. §. 4.*



TVS MORITVR, CUI SVVS HERES NEC EX-
STABIT, ADGNATVS PROXIMVS FAMILIAM
(hoc est, hereditarem) HABETO, et SI GNATVS
nescit, GENTILES FAMILIAM HERES NAN-
CITOR: *g*) eos tantum ad successionem ab intestato ad-
mittebant, qui erant ex familia defuncti, et quidem pri-
mum, *suos heredes, id est, liberos, qui in potestate sunt, cete-
rosque, qui in liberorum loco sint. h*) Quod nullo modo
ad naturales trahere possumus, quia in hos haec notio
non cadit. Non sunt enim sui, quia non sunt in patris
potestate, *i*) neque sunt in liberorum loco, quinam enim
isti sint, ex CAIO edocemur, *k*) scilicet adoptiui liberi,
vxor quae in manu eius est, quia loco filiae familias in
domo mariti habebatur, adeoque erat heres sua, *l*)
item nurus, quae in filii manu est, nam et haec neptis
loco est, *m*) porro, postumi, qui si vivo patre nati essent,
in potestate eius futuri forent, et hi, quorum nomina, ex
Lege AELIA SENTIA, vel ex SCto post mortem pa-
tris in potestate eius futuri essent, id est ex muliere, quae
iustam libertatem non est consequuta, a ciue Romano
per errorem ducta, nati, *n*) tunc enim, probata apud
consilium iusti erroris causa, ad legitimam hereditatem
vocantur. *o*) Nihil vero horum, nothis est adplicandum,
quia

g) Iac. Gothofred. *LL. XII. Tab. Tab. V.*

h) Vlpian. *loc. cit.*

i) Caius, in *Institut. II, 3, 6.*

k) Id. *ibid. II, 8. pr. et §. 1.*

l) Dionys. Halic. *II, pag. 95.* Vlpian. *XI, 13. XXII, 14.* Gell. *N. A. XVIII, 6.*

m) Vlpian. *XXII, 14.*

n) Io. Gottl. Heineccius, ad *L. Ael. Sent. cap. IIII. in antiquit. Rom. Lib. 1. pag. 118.*

o) *Collat. Mosar. et Rom. LL. XVI, II. et ibi Viri docti.*

quia omnis ratio decidendi, cur isti, quos recensuimus ad
 successionem in bona paterna vel auita admittuntur, in
 eo latet, quod sint ex ipsius familia, nothos vero vel li-
 beros naturales, in familia patris naturalis esse, ex stricto
 iure adhuc nemo adferere ausus est, nisi forsitan in eam-
 dem a patre adrogati fuerint, quia adoptiui sunt in fami-
 lia. p) Plane igitur incapaces erant hereditatis paternae
 ab intestato naturales, nec postea ipsis *lege IULIA, PA-
 PIA POPPAEA*, neque iure honorario prospectum fuit.
 Matrem vero quod adinet, in eorum bona naturales ab
 intestato successisse, tanto certius est, quanto minus du-
 bium restat ad hanc hereditatem etiam vulgo quaesitos
 fuisse admissos ex SC. ORPHITIANO, quo amplissi-
 mus ordo censuit, vt legitima hereditas matris, siue in-
 genuae, siue libertinae, liberis tam legitimis, quam vul-
 go quaesitis, quamuis in alterius potestate constitutis, ab
 intestato deferretur, q) quod ius nec capitis quidem de-
 minutione exspirabat, r) et postea ad nepotes neptesque
 productum est constitutionibus principum. s) IVSTI-
 NIANVS tamen, matrem illustrem excepit, et praecep-
 tit, vt eius filius vulgo quaesitus, a legitimis excludatur,
 t) quia vt censet, *in mulieribus ingenuis, et illustribus, (qui-
 bus castitatis observatio praecipuum debitum est) nominari
 spurios, satis iniuriosum, satisque acerbum, et nostris tempo-
 ribus indignum esse indicemus: et hanc legem ipsi pudici-
 tiae,*

E

p) L. 4. §. penult. D. de grad. et adfin.

q) pr. et §. 4. Inst. de SC. Orphit. L. 1. pr. §. 1. sequ. L. 6. §. 1. D. ad SC. Tertull.

r) §. 2. Inst. cod.

s) §. 1. Inst. cod.

t) L. 5. C. ad SC. Orphit.



tiae, quam semper colendam censemus, merito dedicamus. Pulchre profecto. Melius tamen forsitan processisset IVSTINIANVS, si illustribus feminis parcere, et legem suam pudicitiae dicare volebat, vt cupidinem lasciuarum coerceret, legesque ferret, quibus eas a coitu illicito, et suscipienda prole illegitima terreret. Alio sensu PAPINIANVS scribit: *v) quae facta laedunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, et (vt generaliter dixerim) contra bonos mores sunt: nec facere nos posse credendum est.* Quodsi enim iudice PLATONE, *w) in nobili genere, meliores sunt naturae, quam in ignobili;* ad maiorem virtutem excolendam erunt obligati illustres, quam humiliores. Virtus sola nobilitat, hac deficiente nihil ex nobilitate restat, vt grauius monet IUVENALIS: *x)*

Tota licet veteres exornent undique ceras

Atria, nobilitas sola est atque vnica virtus.

Quam tramitem si excedunt illustres feminae, et vulgo quaerunt partum, id ipsis est adplicandum, quod idem auctor alio loco subministrat: *y)*

In amplexu, subitum, et miserabile longum

Adrendit Thymele: Thymele tunc rustica discit.

Sed vt ex diuerticulo in viam redeamus, addimus supra dictis, IVSTINIANVM etiam successioni ab intestato paternae, respectu liberorum naturalium nouam induisse faciem; nam induxit, vt, si pater intestatus moriatur, non relictis liberis legitimis, in sextantem admitterentur natura-

v) L. 15. D. de cond. instit.

w) Plato, de nat. hom.

x) Iuuenal. Sat. VIII. v. 19.

y) Id. Sat. VI. 65.

turales, cum matre diuidendum, z) et alimenta cape-
rent: exstantibus vero iustis filiis, aut modo adoptiuis, vel
sola legitima coniuge, naturales his casibus, praeter ali-
menta, nihil consequerentur, adeo, vt si iusti filii abiti-
nuerint a paterna hereditate, vxor superstes naturales
repellat. a) Et hoc ita procedit, in liberis naturalibus
primi gradus; nepotes enim ex iis nati, praemortuo pa-
tre, nunquam ab intestato, ad vllam portionem perueni-
unt, sed prorsus hereditatis ab intestato sunt incapaces,
b) exceptis alimentis, quae his perinde ac filiis, ob fauo-
rabilem eorundem caussam, debentur.

§. XIII.

Substitimus in recensendis iuribus Romanorum, ^{In Prussia,}
quae de successione naturalium, in bona parentum ab ^{quid hac de}
intestato, auctores suos exercuerunt, et ad ius patrium ^{re sancitum}
prouolamus. In hoc, (editionis, scilicet, recognitae ab
Augustissimo FRIDERICO GVILIELMO diuae memo-
riae) nihil de successione naturalium, dispositum inueni-
mus, praeter paucula quae subsequuntur: c) *Ueber voriges
setzen und ordnen wir, dasz dieienigen so bastard und un-
ehlicher Geburt sind, dieser Rechte, was den Einspruch be-
langet, nicht faehig seyn sollen, wie auch nicht ihre Kinder,
obgleich dieselben ehelich gebobren waeren, wenn andere ehe-
licher Geburt-Nachstverwandte verhanden seyn. Doch soll
man solches nicht verstehn in mütterlichen Gütern, in wel-
chen*

E 2

- z) Nou. LXXXVIII. cap. 12. §. 4. auth. licet C. de nat. lib.
a) Ripa ad L. Lucius D. de vulg. et pup. subst. n. 6.
b) L. vlt. C. de nat. lib.
c) Preussch-Land-R. P. H. Lib. 4. Tit. 7. Art. 2. §. 1. pag. 134.



eben sie in Form und Maassen zu Erben zu gelassen werden. Drum sagt der Colm in diesem Fall recht, dasz die uneheliche Kinder nicht weiter können, denn ihre succession sich erstreckt. Qui textus tamen saltem hereditatis maternae, mentionem iniicere videtur. Reliqua loca, quae illegitimos a paterna et materna hereditate, penitus excludere minantur, d) de liberis ex damnato coitu, id est, ex adulterio et incestu natis, manifeste loquuntur, et tamquam odiosa, ad naturales non extendenda. Silet ergo ius patrium hoc in passu, et quaestionem non decidit, quam tamen decidendam, promississe colligi potest, ex passu quem subiicimus: e) Iedoch, dieweil sich damoch etwan dergleichen Kinder finden, wollen wir auch unterschiedlich, wie eine oder die andere Kinder ihren verstorbenen Eltern ohne Testament succediren, oder was sie sonst von ihnen zu gewarten haben sollen, setzen und verordnen. Non defuerunt lites, quid iuris, circa naturalium hereditates, obtinere debeat in Prussia? quoties isti iudicia adierunt, et hereditates parentum petierunt. Sed non memini, exstare praeciudicatum aliquod hac de materia, quod transactionibus sopiti sint processus exorti, vel saltem hac de re ad me nulla peruenit noticia. Quodsi tamen decidenda esset ex legibus citatis, putarem, supplendum esse hoc caput, ex iuris Romani, tamquam subsidiarii sanctionibus, hac enim via nos incedere iubet *Edictum promulgatorium*, in verbis: f) *Es ist auch unser Wille und Meynung, dasz,*
da

d) *ibid. P. I. Lib. II. Tit. 4. Art. 13. §. 1. pag. 297. P. II. Lib. 5. Tit. 12. A. 1. §. 10. p. 258.*

e) *ibid. loc. cit. §. 4. pag. 256.*

f) *Edictum promulg. d. d. Regiam. 27. Jun. 1721. iur. provinciali praem. circa fin.*

da sich ie einiger Fall, der in gegenwärtiger unserer Ordnung, und Land-Recht nicht begriffen, künstlich begeben und zutragen würde, derselbe, wann er in dem Keyserlichen Recht ausdrücklich decidirt ist, nach demselben gestellet werden solle. Et quidem eo magis, quum nihil iniqui ius Romanum, in decidenda hac quaestione, me quidem iudice, introduxerit. CORPVS IVRIS FRIDERICIANI, naturales non sicco praeteriuit dede, sed in eo de hereditatibus illorum sequentia locum inuenire Serenissimus passus est: g) Es werden auch 3) die unehelichen Kinder in Ansehung des Vaters nicht für successionsmäßige Kinder gehalten. Wann aber eine Person von guter bürgerlichen oder höhern Familie einen Fehltritt begehbet, und sich vor und nach dem Fehltritt wohl aufgeföhret, und wegen ihres Wohlhaltens ein gutes Zeugniß hat, soll in diesem Fall das uneheliche Kind, (oder wann derer viele sind, alle zusammen) den sechsten Theil des Väterlichen und Gros-Väterlichen Vermögens (duas vncias) erben; welcher zwischen der Mutter und den Kindern getheilet werden muß. n. 1. Wann ein Vater aus verschiedenen Weibs-Personen, dergleichen uneheliche Kinder gezeuget hätte, kann keines dieses beneficium praetendiren, sondern sie müssen sich mit den geordneten alimenten begnügen. n. 2. Dieses ius succedendi in sextam, komt bloß und allein dem spurio zu statten, nicht aber dessen Kindern, wann auch der spurio diese schon aus einer rechtmäßigen Ehe gezeuget hätte. n. 3. Es kann aber diese sexta dem spurio per testamentum entzogen werden. n. 4. In Ansehung der Mutter werden die unehelichen Kinder für successions mäßig gehalten: Dergestalt, dasz sie nicht allein

E 3 ihrer

g) Corp. Iur. Friderio. P. II. Lib. VI. Tit. III. §. 5. pag. 147.



ihrer Mutter sondern auch den Mütterlichen ascendenten, (keinesweges aber den Collateralen) succediren, und mit den von der Mutter vor oder nachher gezeugten ehelichen Kindern zu gleichen Theilen geben.

§. XV.

Naturales
non succedunt in
feudis.

Quantulacumque vero haec liberorum naturalium successio est, in bonis allodialibus saltim procedit, non in feudalibus, (*in Erb seu Culmischen, nicht in Lehn-Gütern*) in his enim neque legitimitati succedunt, *h)* iuxta regulam, *sie sind erb- aber nicht lehnsfähig*, nisi per rescriptum Principis ad successionem in feudo fuerint legitimitati, *i)* quod tamen in praecidium agnatorum, quibus ius ex pacto et providentia majorum, quaesitum est, fieri nequit, *k)* et curreret contra litteras investiturae, quibus inferi solent verba: *Leiben ihme und seinen ehelichen gebornen Leibes Lebens-Erben*. Monet quidem IAC. CUIACIVS, *l)* summae auctoritatis ICIUS, allegatum textum, ita esse explicandum, ut post delatam successionem non proficit legitimitatio, bene tamen illa quae antea facta est. Verum hanc distinctionem iam alii refutarunt ICI. Ne ergo tanti viri auctoritatem impugnare videar, verbis celeberrimi CASP. HENRICI HÖRNII, ad id regeram. Inquit iste: *m) Quis non videt, nimis violentam hanc interpretationem esse? Sane simpliciter*

h) 2. F. 26. §. naturales.

i) Gail. 2. Obs. 140. n. 6.

k) Ge. Ad. Struu. S. I. F. Cap. VIII. ib. 3. n. 8.

l) uiacius IV. F. 12.

m) Casp. Henr. Hornius, in iurispr. feud. Cap. XV. §. 3.

13

*plicitas iuris Longobardici fictionem illam legitimacionis vix admittit, atque ociosa fuisset decisio, si de illis, qui post delatam successionem legitimati sunt, Feudista loquutus esset. Nam quum hocce casu tempore mortis naturales inhabiles fuerint, atque sic aliis feudi successoribus ius iam perfecte quaesitum: sine omni dubio illud ipsis auferri nequit. Quae quum ita sint, nec legitimatos per subsequens matrimonium secundum ius commune Longobardicum admitti posse, aude-
 eter adsero. Et idem obtinere, etiam si nulli extant legiti-
 mi, demonstravit LVDOLPHVS SCHRADERVS.
 n) Simili quoque modo eundem casum decidit ius feu-
 dale Prussicum, quod in prioris recognitionis editione
 extat, o) iusque quod hoc exceptit, nihil circa legitimatos
 immutauit. p)*

§. XVI.

Subsistit, hac vice, occupatio nostra in praesenti-Epilogus.
 bus lineolis. Restant, non diffiteor, plures adhuc quaes-
 tiones, quae facile locum hic inuenire potuissent, si
 diutius genio indulgere velimus. Verum memores limi-
 tum, quas vsus dissertationibus praescripsit, et qui in
 consuetudinem iam abiisse videtur, nolumus morosiores
 esse, ne TIBI lector beneuole! taedium excitemus, in
 nos vero iactantiae notam suscitemus. Cui volupe est,
 plura hac de re scire, scriptores de successionis ab inte-
 tato materia euoluat. Nobis sufficiet, si aequa lance,
 sis

n) Schrader, de feud. P. VII. cap. V. n. 20.

o) Preusch-Land-R. Lib. VII. Tit. 2. §. 10. pag. 980.

p) Preusch-Land-R. P. 1. Lib. 2. Tit. 5. §. 1. pag. 258.




40 DE HEREDITATIBVS LIBERORVM NATVRALIVM

sis de opusculo nostro iudicaturus, non omnibus enim inhaesimus, aut subscripsimus opinionibus, quae vulgo, libros et commentatores euoluentibus, in sensus incurrerant. Dabit dies, DEO volente, meliora! Cui pro praesto hucusque in perducendis studiis nostris auxilio, supplices agimus gratias, Eiusque imploramus clementiam, vt actiones nostras, semper ita dirigat, quo vergant in summi Numinis sui gloriam, proximi commodum, nostramque veram felicitatem. Hanc enim vitam viuere, constanti proposito in animum induximus.

FINIS.






Königsberg, Diss., 1740-99



f

sb.







1752
LX
12

DE
**HEREDITATIBVS
LIBERORVM NATV
RALIVM PATERNIS
ET MATERNIS**

DISSERTATIO IVRIDICA INAVGVRALIS
*MAGNIFICO ICTORYM ORDINE
CONSENTIENTE*
IN ILLVSTRI ALBERTINA
PRO SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS
CONSEQVENDIS
PLACIDAE ERVDITORVM DISQVISITIONI PROPOSITA

A
**IOANNE REINHOLDO
KELLER**

REGIOMONTE PRVSSO
OPPONENTIBVS
GEORGIO FRIEDERICO HOFFMANNO, REG. PR. I.V.C.
CAROLO GOTTL. KVENTZEL, WRATISLAVIA SILESO I.V.C.
A. D. XXIII. IVLII MDCCLII.
H. L. Q. C.

REGIOMONTI,
STANNO REGIAE AVLICAE ET ACADEMICAЕ TYPOGRAPHIAE.

